

E P I S T O L A

quando non alijs horis hæc ago, quàm quibus horis alijs o-
 ciantur: nec in alium finem, quàm ut Ill^{ma} Tuæ Cel-
 situdini, de his rebus crebrò sciscitanti, promptè & dex-
 trè respondere possim: quis est qui vel lusus meos inge-
 nuos aliorum desidiæ postponat, vel voluntatem Ill^{mae}
 Celsitudinis Tuæ commodis inserviendi reprehendat?
 Abrahamo Patriarchæ laudi datur à Iosepho, quòd &
 ipse mathematicas artes calluerit, & alios in iisdem in-
 stituerit. Et in encomijs Danielis hoc non est postre-
 mum, quòd instructus fuerit omni sapientia Chaldaeo-
 rum: quæ sapientia præcipuè in mathesi consistebat.
 Neque minus Theologis, quàm alijs quibuscunque ho-
 minibus opera Dei idcirco sunt proposita, ut ijs contem-
 plandis sapientiam Dei admirari, potentiam metuere,
 & bonitatem magnificere discant. Omnes autem isti
 affectus sine dubio tantò sunt ferventiores, quantò in-
 telligentia operum divinorum est in homine pio major.
 Intuetur idiota quispiam Solem: miratur claritatem lu-
 cis: potestatem caloris: velocitatem cursus: certitudi-
 nem itineris: nescius interim, quæ sit forma & magni-
 tudo Solis, & quàm longinquum iter, quod quotidie
 permeat. Si eidem dicas, & ex Astronomia demon-
 stres: Solem esse globum, globo terreno centies sexagies
 sexies majorem; & circulum cursus ipsius quotidiani
 contine-